

lia, quam aliis? Num pro te solo et divitibus tantum crescit vinum et triticum? Num pro te solo creati pisces, aves, pecora, etc. Itaque in quo: *Judicas alterum, teipsum condemnas*, ait apostolus ad Rom. II.

Tertio, pauperes esse malos. Respondet, non judicandum esse proximum; et deinde licet mali sint, nihil decedere elemosynæ, sicut malus nuntius nihil derogat litteris, quas per eum mittit amico. Per pauperes Christo das, quod das ipsi pauperi. Ad hæc, si quem nosti malum, præbendo ei elemosynam, occasionem habes reddendi meliorem; sic enim canes famelicos, escam sperantes, instruimus ut nobis per media obediunt et ministrent, pileum vel baculum portent, anates ex aquis efferant, etc.

Quarto, alendos esse pauperes ex bonis ecclesiasticorum. Respondet, nihil ad te pertinere quid faciant alii, vel facere debeant: non enim tu salvaberis elemosynis aliorum: alioquin etiam sufficere tibi deberent preces ecclesiasticorum. Scire enim debes, non tam propter pauperes exigi a Deo elemosynas, quam propter ipsos divites, ut hi per illas salventur.

Quemadmodum ergo Gedeon minatus est viris Socoth et Phaniel, nolentibus dare panes exercitui ejus: *Cum reversus fuero victor in pace, conteram carnes vestras cum spinis tribulisque deserti*, idque fecit, Jud. VIII. Sic faciet avaris Christus, non redierit ad judicium, dicet enim: *Esurivi et non dedisti mihi manducare, ite maledicti, etc.* Matth. XXV.

CONCIO VI.

DOCUMENTA EX EVANGELIO.

I. Vocationis divinæ necessitas, ejusdem vis et suavitas — II. Vocati obedientia. — III. Ingenium bonorum. — IV. Ingenium malorum. — V. Vir boni exempli. — VI. Quanta virtus misericordiæ.

THEMA.

Euntes discite. Matth. IX.

Mirum quod refert Philostratus de M. Aurelio imp. cognomento *philosopho*. Scribit enim illum puerorum more jam senem in ludum litterarium ivisse. Et cum aliquando ei Lucius obviaret percontans quonam iret et ejus rei gratia, respondit: *Honestum est et seni discere; eo ad Sextum philosophum, ut discam, quæ nondum scio*. Socrates, qui Delphico oraculo omnium sapientissimus iudicatus est, cum jam grandior natu esset, visus tamen est sibi canere sedens inter pueros. Cum-

que ob id rideretur, dixit, absurdum non esse, quæ quis nesciret, ea discere velle, Stob. de assiduit. Salvius Julianus, tum puris prudentia, tum multorum principum amicitia clarus, in ore habuisse dicitur: *Etsi alterum pedem in sepulcro haberem, adhuc addiscere vellem*, in pandect. l. IV. tit. de fide commiss. l. apud Jul. Sed quorum hæc ergo auditores? Paucis verbis dicam. Quantum licet eruditi, quantumlibet senes simus et rerum experientia clari, erubescere tamen haud debemus ad scholam Christi convenire, et ibidem discere quod nescimus ex sacris concionibus. Sic enim Christus Dominus in hod. evangel. Scribas et Pharisæos, adultos jam et doctos mittit ad Scripturam, quod multa adhuc nescirent, quæ scire tamen deberent: *Euntes discite*, inquit. Quod si igitur Pharisæis discendum adhuc fuit: quod si viri illi eruditissimi discere non erubuerunt: euntes ergo et vos discite Christiani, quod sacræ pagina docent. Porro nunc hoc evangel. pro doctrina adhibemus.

I. Discite necessitatem, vim et suavitatem vocationis divinæ. Necessitatem quidem, quia nisi Christus juxta Matthæum transiisset eumque vocasset dicens: *Sequere me*, absque dubio ille a telonio nunquam surrexisset, sed mensæ suæ affixus perpetuo hæssisset, adeoque laqueis divitiarum suarum irretitus diaboli præda factus esset. Verissime ergo dixit Dominus, Joan. VI. *Nemo venit ad me, nisi Pater meus traxerit eum*: et apostolus ad Rom. IX. *Non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei*. Proinde qui vocatus a Deo est ad gratiam, non habet unde extollatur: qui vero vocatus non est, habet cur oret ut vocetur et trahatur. Vocat quidem Deus omnes homines ad se innumeris modis: sed non omnes vocat efficaciter, ita nimirum ut vocati respondeant et pareant vocanti. Novimus enim in parabola illa cœnæ magnæ, Lucæ XIV. alios simpliciter vocatos, non venisse: alios venisse, sed introductos vel compulsos. Ita ergo aliqui vocantur quidem a Deo, sed vocatione non congrua quæ nimirum talis non est ut vocatum trahat, quia scilicet non offertur in illis rerum circumstantiis, quibus novit Deus voluntatem ejus, si moveatur, infallibiliter operaturam. Alii vocantur ea ratione, tempore, loco, etc. quibus novit eos Deus certo obtemperaturos: sicut, v. g. potest amicus invitari ad convivium simplici verbo, vel cum ei minus est commodum, v. g. cum aliis negotiis intentus est: potest et invitari majori vi adhibita, precibus, tractione, amicorum interpositione, et cum ei venire omnino vacat, etc. Priori modo difficulter veniet invitatus licet venire possit: posteriori facile veniet. Jam vero quo modo quis vo-

cetur, non est volentis neque currentis, sed miserentis Dei. Nos tamen orare possumus ac debemus, ut congrua illa vocatione ut efficaci vocemur adeoque trahamur.

Vim porro divinæ vocationis discimus ex eo, quod Christus uno verbo hominem lucris intentum, et divitiis immersum subito extraxerit, et sedentem in telonio, adeoque tempore importuno repente abstraxerit, brevissimoque tempore e rapace et avaro, in liberalem et sanctum hominem mutaverit. Nam ut Eccles. XI. dicitur: *Facile est in oculis Dei subito honestare pauperem*. Quod futurum prævidit Isai. cap. LV. dicens: *Pro salivuncula abies, et pro urtica crescet myrtus*, id est, pro spinosis et humilibus herbulis surgent arbores altæ et nobiles, pro Saulo Paulus, pro peccatrice Magdalena, pro Publicano Matthæus apostolus, etc. Nemo igitur diffidat, quantumvis horreat spinis peccatorum, quia cum Dei gratia facile deponere etiam belluinos mores potest et in ovem angelumque mutari.

Suavitatem denique, dum Dominus prius quæsiit Matthæum et allocutus est, cum ille nihil hac de re cogitaret. Ita et nos omnes quærit frequenter Deus, et variis modis vocat, nobis aliud agentibus de ipsoque nihil cogitantibus. Pulchre autem S. Lucas scribit Dominum exiisse et vidisse Publicanum, ut indicaret Christum esse illum patrem familias, qui exiit primo mane et reliquis horis conducere operarios in vineam suam: quorum unus erat hic Matthæus.

II. Discite vocati obedientiam. Nam imprimis ad unam vocationem nullo miraculo confirmatam statim secutus est Christum Matthæus: *Non enim repugnavit*, inquit S. Chrysost. homil. XXXI. in Matth. *nec ambigendo secum dixit: Putasne Publicanum peccatoremque recte absque fraude vocaverit? Non est enim hujusmodi intempestiva humilitas laudabilis; sed confestim ita obtemperavit, ut nec domum quidem ad communicandam rem cum suis profectus sit, etc.* Hanc doctrinam utinam perciperent hæretici, qui cum ad veterem ac veram vocantur religionem, rem sibi maturius deliberandam asserunt, et cum amicis communicandam: necnon peccatores, qui penitentiam de die in diem differunt, et tot elabi occasiones sinunt, tot vocationes negligunt: interim diabolus suffuratur eis præsens tempus, dum illi omnia differunt in futurum, ad eum modum, quo avis quædam decipit aucupem, uti vidisse se asserit Sanctus Basilius, homil. XXIII. de exhort. ad baptis. dum appropinquans spem sui capiendi facit aucupi, interim eum a nido suo abducit, atque ita et se pullos suos, qui adhuc implumes et vicini facile capi poterant, ab ejus manibus liberat. Sic

enim et diabolus dum futurum pollicetur, quod perpetuo fugit, eripit interim præsens, quod solum apprehendi poterat et bene collocari: atque ita utroque spoliat.

Secundo, dimisit omnia: *Relictis omnibus*, inquit Lucas, *surgens secutus est eum*. Intellexit nimirum edoctus intus a Christo divitias onera et impedimenta esse perfectionis. Recte dixit Democrates, apud Stob. XCI. uti vestes talares corpora, ita divitias magnas impedire animas. Intellexit hoc Matthæus, ideoque totum abjecit. Sed quia non omnium est hæc tam sublimis vocatio, ideoque cæteri divites saltem præcingere vestes illas debent, ad instar peregrinorum ut progredi in virtute queant, id est, debent superflua demere et pauperibus communicare: nisi et se gravare velint et sæpius cadere.

Tertio, non sua tantum sed et se quoque reliquit, dum seipsum Christo donavit ejusque voluntati et imperio subject. Etenim Christus: *Non dixit*, inquit Chrysostom. serm. XXVIII. *Affer ad me, scilicet pecunias tuas; sed sequere me, quia Matthæum, non Matthæi sacculos requirebat*. Et ita secutus est Matthæus Christum non tantum pedibus corporis, sed magis affectibus et voluntate. Aliqui instar aviculæ cantum Deo præbent, sed ubi apprehendere voluerit, avolant. Quid prodest relinquere sua, si quis non reliquit se? Quid prodest munera dare pauperibus et Ecclesiis, si teipsum non dones Deo, sed persistas in peccatis?

Quarto, secutus est Christum vocantem tempore maxime importuno, cum ad telonium sederet. Nullum negotium majus magisque lucrosum et necessarium est negotio salutis; hoc ergo omnibus negotiis preferendum.

III. Discite ingenium bonorum et Christi servorum. Nam hi imprimis gaudent et Deo gratias agunt, cum a sæculo avocantur, et laqueis mundi eripiuntur, non secus atque avicula hilariter canit, cum a laqueo se expedit, juxta id Psalmi: *Laqueus contritus est, et nos liberati sumus: adiutorium nostrum in nomine Domini*. Non enim mentitur apostolus cum ait I. Tim. VI. *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem et in laqueum diaboli, et desideria multa inutilia et nociva, quæ mergunt homines in interitum et perditionem*. Simile exemplum præbuit S. Bern. abbas cum ducenta argenti pondo, sibi ad impensas extruendi monasterii commissa, a grassatoribus intercepta audisset: siquidem Deo gratias egisse dicitur, quod magno se onere levasset, Marulus, l. V. c. III. Similiter S. Elisabetha cum defuncto marito a regni proceribus arce excedere et fortunis indignissime cogere: injuriam tamen illatam be-

nefici loco habens, Deo gratias agebat. Et quamvis ad patrium regnum revocaretur, tamen contemptis regum divitiis, privatum et humile vitæ genus amplexa, a paupertatis studio dimoveri non potuit, Conrad. in vita.

Deinde, non sunt contenti, quod ipsi inveniant Christum et salutis viam, sed laborant etiam ut proximos lucri faciant et ad eandem viam ducant. Hac enim de causa Matthæus instituit convivium et quidem magnum, et ad id invitavit multos Publicanos et peccatores, ut hac occasione conversari cum Christo et converti possent; (si quidem tales homines plerumque fugiunt conciones et non nisi in mensis capi possunt.) Hoc est illud convivium, quod Actor. X. Petro representatum fuit: continebatque quadrupedia, serpentina terre, volatilia cæli, et audita est vox: *Occide et manduca.* Quid aliud erant Publicani et peccatores mensæ huic accumbentes, quam immunda et animalia? Et hæc apposuit Christo Matthæus, ut ea occideret per penitentiam et manducaret uniendo sibi per gratiam et transferendo in cælum. Hi sunt feræ illæ silvestres, quas appetit noster Isaac, Christus, Genesis XXVII. non quod justis meliores, sed quod insperatiores sint et rariores majorique industria comprehensi: siquidem perierant et inventi sunt. Omnes ergo fideles scient sibi dictum a Christo: *Fili, affer mihi de venatione tua:* mandavit enim unicuique nostrum de proximo suo.

IV. Discite ingenium mundi et malorum. Nam primo, dum alii cum Christo partim conversi, partim convertendi comedunt, et audiunt verbum ejus ac sequuntur eum, adsunt interim haud procul Pharisæi et Scribæ murmurantes et carpentes Christum: *Venerunt enim, ut scribit Victor Antiochenus, in cap. II. Marci, non quo aliquid discerent, verum quo ea, quæ fiebant, curiose inquirerent.* Sic etiam ad conciones veniunt boni ut aliquid discant et emendentur: mali ut aliquid taxent vel irrideant.

Secundo, ut invidiam Christo conflent apud discipulos, non dicunt ipsi Christo id, quod contra eum habent, sed discipulis tantum ejus: *Quare cum Publicanis et peccatoribus manducat magister vester? Pharisæi enim cum videbatur eis errare Christus, discipulis id dicebant, ut hic; cum vero discipulos errare putabant, magistro id dicebant, ut Matth. XV. Quare discipuli tui transgrediuntur traditiones seniorum, non enim manus, etc.* Hoc nimirum ingenium et susurronum et murmuratorum, quia cupiunt tantum hominibus famam rodere, et invidiam conflare: non cupiunt eos emendare vel excusationes eorum audire; ideo non ipsis sed aliis errores eorum referunt;

quod expresse contra Dei mandatum est, qui præcepit: *Non maledices surdo,* Lev. XIX. Hoc vero est, absenti et non audienti derogare, ut ait S. Greg. III. p. pastor. admon. XXVI.

Tertio, quantum laborant boni ut alios e peccatorum cœno eripiant, et e malis bonos faciant, tantum etiam laborant mali, ut bonos et conversos depravent et rursus in nassam diaboli trahant. Matthæus instruit convivium, ut ea occasione cæteri Publicani et peccatores Christum audirent et sequerentur: Pharisæi contra et Scribæ, ut Matthæum et alios a Christo abalienarent et abstraherent, famam Christi denigrare conati sunt: similes monachis marinis, ob humanam faciei et cuculli similitudinem sic vocatis, qui, ut scribit Olaus M. l. XXI. cap. I. si unus ex ipsis forte a piscatoribus captus in cymbam trahatur, congregantur reliqui catervatim circa cymbam et nautas, tantumque excitant strepitum et fremitum, ut manus piscatorum obstupescant, ipsique nautæ captum dimittere cogantur, nisi in navi periclitari velint. Idem prorsus faciunt monachi diaboli, cum aliquis e sæculo ad religionem, vel a prava conversatione et societate, ad frugem revocatur. Captori enim insultant, uti expertus est S. Hieron. eo quod multas nobiles matronas et virgines a sæculo ad religionem pellexerit.

V. Discite quid possit bonum exemplum. Etenim discumbente Christo in ædibus Matthæi, multi Publicani et peccatores venientes discumbebant cum eo: *Erant enim multi, inquit Marcus, qui et sequebantur eum.* Unus ergo Matthæus multos suo exemplo ad Christum adduxit: ad quod multum juvabat absque dubio, quod Matthæus ex primariis Publicanis et optimatibus Capharnaitis erat, et ut vult Metaphrastes, primum inter eos locum obtinebat. Ita nimirum si in aliqua communitate optimates bene vivant, et exemplo suo ad virtutem præeant, salus sunt reip. uti contra pestis, si ad vitium. Quamdiu Joab dux exercitus in campo manens super terram dormiebat, tandem et servi ejus, ita ut sceleri sibi ducerent, si quis in lectum ascendisset, ut colligitur, II. Reg. XI. Contra Jeroboam rege excitante et adorante vitulos aureos: *Factum est verbum hoc in peccatum, inquit sacer textus, ibat enim populus ad adorandum vitulum usque in Dan,* III. Reg. XII. Græcis proverbium est: *A capite pisces putere,* quo indicant principem virum et magistratum, si turpitudini se dedat, mox dare labem in plures. Hac de causa S. Bonifacius ad Ethelbaldum regem scripsit: *«Tempus est ut multitudini pereuntis populi parcas: quæ sequendo exempla peccantis principis, cadit in puteum mortis, etc.»* Extat

ep. in Synodo Ger. a Bonifac. celebrata. Sic Convallio pio apud Scotos regnante, mire floruit apud eos religio et probitas, ita ut S. Columbanus ad eam videndam ex Hibernia in Scotiam trajecerit: ac rediens rogatus quænam ibi vidisset miracula, responderit: *«Vidi unum instar omnium, regem videlicet Convallium, qui in mediis deliciis et peccatorum incitamentis cum monachis et episcopis de sanctimonia contendit: qua de causa suis ita est reverendus, ut ipsi nec aliis injurii, nec de ipso hiscere sinistri quidpiam audeant.»* Inde effectum est, ut plus regis virtus ferocem populum a solitis flagitiis et seditionibus, quam ejusdem auctoritas coerceat. Refert hoc Hector Boethius, hist. Scot. l. IX.

VI. Discite quam præclara virtus sit misericordia: siquidem vult et patitur Deus religionem et cultum suum omitti aut interrumpi, aut necessitatibus proximi succurratur. Hoc enim sibi vult illud: *Misericordiam volo et non sacrificium:* item illud Matth. V. *Si offers munus tuum ad altare, etc. relinque tibi munus tuum et vade prius reconciliari fratri tuo.* Celebratur misericordia Alex. M. a Curtio, l. VII. quod tempore maximæ sitis et aquarum penuriæ, cum quis utrem aquæ ferens ad filium in castris existentem haustum ei porrigeret, respuit bibere et jussit potius ferri sitienti militi. Similiter Julii Cæsaris qui in vili tugurio hospitio exceptus, in quo erat tantum lectus unus, concesso cuidam infirmo militi lecto, dormivit cum reliquis sub Jove pluviali totam noctem, Maiol. tom. III. canic. sed quid mirum si homo homini cedat? Deum vero jus suum remittere, et velle potius homini subvenire, id omni exceptione majus est. Id quod fecit Christus, verus Samaritanus, cum ex equo descendens, saucium hominem ei imposuit, ipse pedes incedens: cum peccata nostra in se suscepit et pertulit in corpore suo super lignum, I. Petri II. Quanto igitur jure cedere et nos juri nostro debemus, cum forte aliquem cernimus magis indigentem, quam nos egeamus. Euntes ad sacram Scripturam, discite quam hoc sit Deo placens, III. Reg. XVII. petierat Elias magna fame pressus, utpote eo tempore, quo per tres annos et sex menses non pluebat, a vidua Sarephthana buccellam panis, sed cum illa responderet: *«Vivit dominus meus, quia non habeo panem, nisi quantum pugillus capere potest farinæ in hydria et paululum olei in lecytho. En colligo duo ligna ut ingrediar et faciam illud mihi et filio meo, et comedamus et moriamur.»* Institit Elias et petiit: *«Mihi primum fac de ipsa farinula subcinericium panem parvulum et affer ad me, tibi autem et filio tuo facies postea. Hæc enim dicit*

Dominus Deus Israel: Hydria farinæ non deficit nec lecythus olei minuetur usque ad diem, in qua Dominus daturus est pluviam super faciem terræ.» Quid faceret hic mulier? Alterine daret, quo ipsamet egebat? *«Abiit tamen et fecit juxta verbum Eliæ, et comedit ipse et illa et domus ejus, et ex illa die hydria farinæ non deficit et lecythus olei non est imminutus, etc.»* Quare licet tibi res angusta sit et curta supellex tibi que necessaria, da nihilominus modicum quid; ita enim sanguinem quasi et vitam dabis, quod mire Deo gratum, et a Christo prædicatum in vidua illa, Luc. XXI. Sed quid mirum si misericordiam præferat sacrificio, siquidem et hæc sacrificium est? *«Cum vides pauperem, inquit Chrysost. in morali homil. XX. corpus Christi, aram Christi te videre puta et revertere ac eleemosynæ sacrificium offer: ex quo gloria et gratiarum actio quasi fumus ascendat ad Deum:»* et Gregor. Naz. orat. de cura pauperum ait: *«Nulla ex omnibus rebus perinde ac misericordia colitur, quoniam nihil aliud tam peculiare est Deo quam illa.»* Hinc apost. ad Philip. IV. eleemosynas Philippensium ad se missas vocat: *Odorem suavitatis, hostiam acceptam, placentem Domino:* et Hebr. XIII. *Beneficentiæ inquit, et communionis, (id est communicationis) nolite oblivisci; talibus enim hostiis prometur (id est, placatur) Deus.* Testis S. Joannes eleemosynarius episcop. Alexandrinus, qui scribit, adstisise sibi in somno, dum in Cypro versaretur, pulcherrimam puellam, a qua cum e somno excitatus esset, rogavit eam, quæ esset. Cum ipsa: *«Sum, inquit, prima ex filiabus magni regis. Si tu me tibi amicum paraveris, potero te ei efficere familiarem: nulli enim major est apud Deum, quam mihi fiducia: quoniam ei ut e cælo descenderet in terram et carnem acciperet humanam, ego persitasti.»* Joannes ergo cum hanc puellam judicaret fuisse misericordiam, statim ivit ad ecclesiam et obvium cuidam pauperi nudo et afflicto vestem suam tradidit, moxque a candidato viro in vicem accepit centum nummos. Qui statim disparsit ostendit Joanni veram fuisse et visionem et ejus conjecturam, Leont. in vita. Hanc ergo, auditores, puellam adamemus nobisque familiarem faciamus, ut ab ea vicissim familiares reddamur Deo.

CONCIO VII.

MYSTERIA EVANGELII.

I. Cur exceptus a Matthæo Christus convivio? — II. Cur cum peccatoribus manducavit? — III. Quomodo misericordiam vult, non sacrificium? — IV. Ad quid sacrificia veteris legis?

THEMA.

Quare cum Publicanis et peccatoribus manducat magister vester? Matth. IX.

Vere dixit Clemens Alexandrinus, l. VII. stromatum: *Quicquid est pulchrum sequitur momus*, id est, reprehensor. Id enim claret in hod. evang. ubi pulcherrimum Christi factum audimus, dum Matthæum et Publicanos alios peccatorum cæno erutos abluit et cum illis manducavit: mox tamen Pharisei invidi momum agere cœperunt et reprehendere tam præclarum opus: *Quare cum Publicanis et peccatoribus manducat magister vester?* Respondeamus ergo huic questioni uti et pauculis aliis.

I. Quare Matthæus excepit Christum convivio, et ut Sanct. Lucas, cap. V. ait: *Magno?* Respond. merito id fecisse pluribus de causis. Nam primo, convivium institui solebat adventanti magno et claro hospiti vel amico, honoris vel grati animi causa, uti fecit Abraham tribus angelis ad se divertentibus, Gen. ut quanto major est Christus angelis? Quantus et quam acceptus hospes, præsertim post vocationis beneficium Matthæo impensum? Annon igitur jure merito honoravit tantum Dominum et benefactorem tanto convivio?

Secundo, convivium instituebant veteres in die natali suo, quod eo die nati lucem aspexerint, uti Pharaon, Gen. XL. et Herodes, Marc. VIII. Multo rectius fecit Matthæus convivium in die, quo spiritualiter renatus est et Filius Dei factus.

Tertio, convivium instituebatur in die ablactationis filii, quod tunc jam quasi per se vivere inciperet, et vitalis futurus putaretur, uti fecit Abraham in die ablactationis filii sui, Gen. XXI. At hodie Matthæus ablactatus est a mundi et synagogæ uberibus: quæ cœpit repudiare, et assuescere incepit solidioribus Christi cibis, animam roborantibus, de quibus inquit Isa. cap. XXVIII. *Quem docebit scientiam, et quem intelligere faciet auditum? Ablactatos a lacte, avulsos ab uberibus, q. d. a deliciis puerilibus et vita imperfecta ac carnali. In quem locum Cyrillus* « Deus sanctos et vocat et docet, qui ablactatus a lacte et uberibus legis veteris, per Christum proveci sunt in perfectum virum, ut pro eo fortiter omne

discrimen subeant. » « Talis ablactatus fuit Isaac, (ait S. Ambros. in Ps. CXVIII.) qui gladium patris percussoris non exhorruit. » Talis etiam Matthæus hodie incepit fieri, adeoque profecit, ut gladium percussoris non timuerit: *Ingens est gaudium cum homo non lacte sed solido sapientiæ, et virtutis cibo vescitur*, inquit S. August. et Rup. in Gen. c. XXI. Jure igitur Matthæus magnum fecit convivium.

Quarto, convivium institutum est, cum fœdus pacis iniretur, uti factum, II. Reg. III. quando David revertenti ad se Abnero et amicitiam secum ineunti fidemque sibi promittenti, convivium et una seciis ejus. At hod. in evangelio rediit ad Christum Matthæus, prius hostis, nunc amicus, pacem cum eo fecit, fidem ei dedit; et quemadmodum Abner reduxit Israel ad David, sic Matthæus alios Publicanos secum ad Christum. duxit, merito ergo gaudet et epulatur Christus cum Matthæo.

Quinto, convivium præbebatur in tonsura ovium, uti fecit Absalon, cum occidit in convivio Amnon, II. Reg. XIII. et Nabal, I. Reg. XXV. Atqui etiam Matthæus postquam ovis Christi factus est, lanam hodie deposuit, cum omnia reliquit et nudus nudum secutus est Christum.

Sexto, convivium fiebat, cum valedicendum esset parentibus, uti fecit Elisæus, II. Reg. XIV. cum valedicturus parentibus et mundo, sequi vellet Eliam. Voluit et Matthæus mundo valedicere, idcirco instruxit convivium volens indicare se illud alacri animo facere.

Septimo, fiebat convivium et in nuptiis, necnon in parentalibus sacris, ut patet ex Ezech. c. XXIV. At Matthæus felices cum Deo nuptias inivit mundoque mortuus est.

Denique, ut hoc pacto adduceret ad Christum ejusque sequelam etiam alios Publicanos. Hoc enim differt amor honorum cœlestium ab amore terrenorum, quod qui terrena amat ea sibi tantum reservata cupit: qui vero cœlestia invenit, ea omnibus communicare desiderat.

II. Quare Christus cum peccatoribus et Publicanis manducavit? Respondet pro se Christus primo: *Non opus est valentibus medicus, sed male habentibus.* Medici est versa cum infirmis potius quam cum sanis. Percommoda etiam sanandi eos, qui spiritualiter infirmi sunt, ut erant Publicani, occasio est convivium. Nam in convictu mitescunt etiam feræ, et latrones parcunt iis, cum quibus memorantur se iniisse convivium, ut testatur S. Ambrosius, in Psalm. XL. In conviviis coeunt amicitia, quæ alias non coirent. Unde S. Hieron. in comment. super hoc evang. ait: « Ibat Christus ad convivia peccatorum ut occasionem

haberet docendi, et spirituales invitatoribus suis præberet cibos.

Secundo, quia misericordiam et sanitatem impendere miseris et infirmis res est adeo Deo placens ut ipse dixerit Ose. VI. *Misericordiam volo et non sacrificium*, h. e. (juxta phrasin Hebræam) non tam sacrificium quam misericordiam. Eodem modo intelligendum id: *Non est opus valentibus medicus, sed male habentibus*: item illud: *Non veni vocare justos, sed peccatores.* Certum enim est, voluisse Deum etiam sacrificia, consuluisse etiam valentibus, vocasse etiam justos.

Tertio, quia: *Non veni vocare justos, sed peccatores*, quia scilicet peccatores magis indigebant ejus instructione, auxilio et adhortatione, illique plures erant, et majori in periculo constituti.

III. Quomodo misericordiam Deus vult potius quam sacrificium, cum tamen sacrificium sit actus religionis et patriæ, misericordia virtus tantum moralis: illum Dei honorem, hæc hominis tantum sublevationem spectet? Resp. sacrificium ex genere suo et ratione objecti esse actum nobiliorem quam actum misericordiæ: hanc tamen præferendam.

Primo, quando sacrificium est juris mere positivi, ut puta, cum omitti potest citra Dei contemptum: opus autem misericordiæ juris naturalis, ut cum necessitas proximi jubet succurrere: Sic cum ægroto est ministrandum, potius est omitendum sacrificium aut pensum præcæm horarium, quam ægroti ministerium. Sic Christus reprehendit filios dicentes parentibus egentibus: *Corban*, id est, munus illud Deo offerre præstat: quam dare tibi o. Pater, Matth. Sic S. August. damnat parentes, qui bona sua dant monasterio, cum habent filios indigentes, ipseque tales oblationes respicere solèbat, ut refert Possidonius, in ejus vita, c. XXIV.

Secundo, si spectemus sacrificia externa tantum, qualia erant in veteri lege, taurorum, ovium, frugum, etc. præstant opera misericordiæ: quia hæc secundum se Deo placent, illa non item; sed ex devotione tantum offerentium, et ex Dei institutione ad tempus. Quid enim valeret victima ovium et boum, oblatio panis, etc. ad placandum Deum, si demas internam devotionem, poenitentiam, etc. Perinde est ac si ditissimo viro donetur res nullo pretio æstimabilis. Hinc Psalm. XLIX. ait per os Davidis Deus: *Nunquid manducabo carnes taurorum, aut sanguinem hircorum potabo? Immola Deo sacrificium laudis, etc.* et Psalm. L. *Si voluisses, ait David, sacrificium, dedissem utique, holocaustis non delectaberis.* Perperam enim existimabat populus peccatis obnoxius Deum sacrificiis, non poenitentia placandum.

Tertio, si misericordia imperetur a charitate vel religione, tunc præstat sacrificio; tunc enim habet adjunctam virtutem aliam vel nobiliorem, ut est charitas, juxta illud dictum Scribæ a Christo approbatur: *Diligere proximum tanquam seipsum majus est omnibus holocaustationibus, et sacrificiis*, Marc. XII. Vel æque nobilem, ut est eadem religio.

IV. At quid instituit Deus sacrificia veteris legis? Resp. primo, ut exterior cultus et veneratio Deo debita præstatur. Ratio enim dicitur Deum ab hominibus cultu quodam externo venerandum esse.

Secundo, ut Judæos avocaret ab idololatria, dum hoc pro cultu eos occuparet. Unde Tertull. l. II. contra Marcion. c. XVIII. ait: *Per sacrificiorum onera, operationum negotiosas scrupulositates, religioni suæ voluit eos Deus adstringere, ne simulacris faciendis delinquerent.* Quemadmodum enim medicus permittit ægro intemperanti, minus malum, v. g. frigidam, ut ne eligat majus, v. g. ne se præcipitet: ita victimas Judæis permisit Deus ne prolaberentur in idololatriam, ut ostendit S. Chrysost. hom. I. contra Judæos.

Tertio, ut sacrificium Christi in cruce peractum, velut omnium nobilissimum, variis typis adumbraret, quo ejus dignitas et valor omnibus immotesceret et in memoria versaretur. Unde S. Leo, serm. VIII. de pass. ait: « Nunc carnalium sacrificiorum varietate cessante, omnes differentias hostiarum una corporis et sanguinis Domini implet oblatio; ut sicut unum est pro omni victima sacrificium, ita unum de omni gente sit regnum. » Immolari autem poterant Deo octo solùm animalia, bos, vitulus, ovis, capra, hœdus, columba, turtur et passer: Bos Christi laborem et fortitudinem denotabat, vitulus ejusdem juventutem, ovis innocentiam, hœdus formam peccatoris, capra obedientiam, columba mansuetudinem, turtur arctam cum Deo conjunctionem, passer ejus humilitatem et paupertatem, etc.

Rursum victima debebat immolari ad ostium tabernaculi, ad significandum, quia Christus juxta et extra urbem passus est. Secundo, offerens victimæ imponebat manus super caput: quia et Christus qui erat offerens et oblatio, peccata generis humani imposuit super caput suum. Tertio, sacerdos hostiam expandebat, divaricatis scilicet cruribus, ut notat Vilalpandus, l. III. de templo. XXXVII. deinde sanguinem hostiæ fundebat circum altare: quia et Christus offerendo se Patri expandit in cruce manus et fudit sanguinem suum circa crucem, ut sciremus eum effundi pro universo orbe. Quarto, pellis hostiæ

detrahebatur, quia et Christo immolando in cruce vestes sunt detractæ. Quinto, concidebatur hostia frustatim et ponebatur in altare, quia et Christus flagris concisus, positus est in crucem. Sexto, hostia comburebatur, quia et Christus ex ignita charitate mortuus est; ligna erant miseriæ nostræ. Septimo, ut significarent ea quæ nos agere convenit itaque mores nostros informarent. « Bovem ergo immolat, quisquis in sæculari vita mundi actibus deditus, de ipsis laboribus suis Deo ministrat. Ovem offert, qui laborare non sufficiens et infirmitate ac ætate seu paupertate a misericordiæ actibus revocatur, per solam innocentiam Deo placet. Capram litat, quisquis veterem conversationem melioris propositi castigatione immutat, » inquit Radulph. in Levit. et Origenes, hom. II. in Levit. « Offert Deo vitulum, qui carnis superbiam labore vincit; ovem offert, qui irrationales iræ motus insipientesque corrigat (nam si ex corde remiseris peccatum fratri tuo, et iracundiæ tumore deposito mitem intrate et simplicem recollegeris animum, immolasse te arietem vel agnum puta); hædum offert, qui lasciviam superat; par turturum, qui mentem suam verbo Dei ut conjugii sociat; pullos qui oculos columbinos sponsæ imitatur. » Sic Origenes.

Rursum. Altare est cor nostrum; ligna sunt sanctæ cogitationes; ignis est charitas, hostia immolanda ad introitum tabernaculi est anima et corpus nostrum immolandum ante ingressum cœli; manus impositio est devotio offerentis; sanguinis effusio est pravæ cupiditatum impulsio; pellis detractio interioris voluntatis examen; membrorum concisio est accurata confessio vel mortificatio et satisfactio pro peccatis, etc. Hæc sacrificia obtulit Matthæus de se Christo. Bovem, id est, laborem in prædicando et peragendo orbe arandoque Christi agro: vitulum, id est, promptitudinem obedientiæ; exiliendo de telonio ad Christi sequelam: ovem, id est, mansuetudinem in sufferendis Phariseorum oblocutionibus: capram, id est, vitæ veteris immutationem: hædum, id est, castitatem, quam non modo sectatus est, sed et alios docuit, unde victima virginitatis appellatur: turturum, id est, arctam cum Christo societatem et unionem: columbam, id est, simplicitatem, sequendo Christum ad simplicem vocationem, licet nesciret quo vocaretur: passerem, id est, humilitatem, siquidem suam conversionem humili stylo describit. Obtulit denique verum illud et unicum sacrificium agni immaculati, in cuius oblatione et ipse oblatum est Deo in victimam.

AUCTARIUM.

CONCIO I.

CONVIVIIUM CUR INSTRUXERIT CHRISTO MATTHÆUS. I. Ut animi sui lætitiā indicaret. — II. Ut Christo se gratum ostenderet. — III. Ut socios Publicanos ad Christum attraheret. — IV. Ut factæ renuntiationis suæ indicium daret. — V. Ut valediceret amicis et familiaribus.

THEMA.

Discumbentes eo in domo, ecce multi Publicani et peccatores venientes discumbant cum Jesu. Matth. IX.

Campanam resonantem audivimus in hodierno evangelio, sed non scimus in quo loco, juxta nostram paræmiam. Convivam audimus Christum fuisse in quadam domo: sed in qua domo? Non exponit hoc Matthæus: utique ex modestia, ne qua ratione, si se auctorem proderet, vel minimam gloriolam captare videretur. Quod tamen ille tacuit, manifestavit Lucas, qui ait, Matthæum fecisse Christo convivium, et quidem magnum in

domo sua. Magnum certe fuit hoc convivium, e cuius reliquiis saturati et recreati sunt in cœlo omnes angeli, qui, Salvatore teste: *Gaudent super uno peccatore penitentiam agente.* Sed dicet aliquis: Spirituale hoc convivium et cœleste est: quid vero convivio spiritus cum convivio carnis? Quid cœlesti cum terrestri? Quid convivio mentis cum convivio ventris? An forte hoc convivium tale in terris fuit, ut ad cœlum convivas dirigeret? An ita ventrem pavit, ut mentem etiam saginaret? Ita omnino, tale fuit: uti mox videbimus.

Instruxit hoc convivium Matthæus Christo et Publicanis:

I. Ut animi sui lætitiā indicaret et alacritatem, ut qui, jam a mundi laqueis expeditus, securus ad cœlum via ingredi cœpisset, quod insinuat S. Chrysostomus, homil. XXXI. in Matth. Videmus aviculas, cum forte e cavea eluctatæ vel dimissæ sunt, avolantes præ gaudio cantilare, quod libertatem suam recuperarint; quæ causa est, cur Turcæ sæpius in foro vanales emant aves,

ut libertati eas restituant, et dimissas gestire audiant, uti Busbequius, in sua legat. Turc. refert. Matthæus in telonio quasi avicula erat in cavea: avaritiæ vinculo alligatus et duram servitutem in mundo velut in Ægypto serviens; quod jam tum intelligere cœpit, uti indicavit B. Birgitta, Amalphi ad sepulcrum suum oranti, in ejus revelat. l. IV. cap. CXXIX. Et cupiebat quidem eluctari; sed non poterat suis viribus, donec manum ei porrexit Christus, et vinculum dirupit. Quo facto quomodo non cantaret, non jubilaret Matthæus? Ita enim Hæbræi et manu Pharaonis liberati cecinerunt, duce Moyses, carmen illud lætitiæ plenum: *Cantemus Domino, gloriose enim magnificatus est, equum et ascensorem dejecit in mare,* Exod. XV. Equus est mundus, carnalis, superbus, injustus: ascensor ejus et domitor quis nisi dæmon? Uterque persecutor Matthæi fuit; uterque demersus est, quando ipse a Christo vocatus est: ergo Matthæus videns se ab his liberatum, suam ostendit, instructo convivio magnifico, lætitiā, quasi invitans convivas suos ad congratulandum sibi, et intonans: *Cantemus Domino, equum enim et ascensorem dejecit in mare,* quod ego, sedens adhuc in telonio, magno cum timore transivi. Video pene ante oculos meos infinita Ægyptiorum corpora in hoc mari demersorum, qui servientes Pharaoni, dæmoni et mundo, perierunt in divitiis, deliciis et honoribus suis: ego nunc evasi. Hujusmodi avicula capta et illaqueata etiam David erat, quando in luto peccati hærebat: qui postquam Dei ope erutus est, cantavit Psalmum CXV. in quo inter alia: *Dirupisti vincula mea, ait, tibi sacrificabo hostiam laudis.* Illam plures aliæ secutæ, Psalm. CXXIII. canunt: *Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium.* Jam audi epiniciū: *Laqueus contritus est, et nos liberati sumus; adjutorium nostrum in nomine Domini.* His addamus tyrones sacri ordinis S. Dominici, quos in ordinem suscepit ipsius in generalatu successor, B. Jordanes Saxo, de quo ita Leander Albertus Bononien. in ejus vita, apud Sur. 14. feb. « Accidit ut vir Dei plures tyrunculos nostræ religionis, per ipsum sanctæ conversationis toga indutos, ad quoddam canobium secum duceret: forte illos ad habitum receperat in loco, ubi fratres non habebant aedes. Igitur cum hic ad meritiorum tabernam divertens, et pro consuetudine, hora id petente, officium persolvens, quod completorium dicunt, accidit ut quidam ex iis in risum prorumperet: cæteris vero id cernentibus vehementer et ipsi ridere cœperunt. Animadvertens autem quidam ex sodalibus viri Dei, nutibus adnitebatur eos compescere: at illi magis ac magis ridebant. Tunc Jordanes, dimisso com-

pletorio, et dicto *Benedicite*, ad socium conversus: Frater, inquit, quis horum tyruncolorum tibi curam demandavit? Quid ad te attinet de eorum risu? Et ad illos conversus: Filii, inquit, vehementer ridete, ne inceptum omittatis, quia hoc vobis concedo. Et vero ridere beneque gaudere vos oportet, eo quod e diaboli carceribus existis, fractis vinculis illius, quibus multo tempore vos ligatos tenuerat. Ridete igitur, filii, ridete. Porro illi hoc in sermone consolati in animo, deinceps ridere in ore effuso nequiverunt. » Convivium Matthæi hujusmodi risus fuit, quo sibi gratulatus, mundum derisit.

II. Ut Christo Domino et magistro suo qualem vicem rependeret, et gratum se ostenderet ob acceptum vocationis beneficium, quod indicat Victor Antiochenus, in Marci cap. II. Invitavit Christus, dum transiret, Matthæum in suum contubernium: gratus huic tam nobili invitatori, invitavit etiam ipse Christum ad domum suam, tametsi valde impari sorte. Christus enim ad epulas spirituales, hic ad materiales; ille ad cœlestes, hic ad terrenas invitavit. Fecit tamen quod potuit Matthæus, ne tanto benefactori ingratus foret. Imitatus est hanc Matthæi gratitudinem egenus quidam homunculus, S. Hereberti Coloniensis archiepiscopi quotidianis elemosynis sustentari solitus, auctore Ruperto Tuitensi abb. apud Sur. 16. mart. quod paulo succinctus ita refert Lipelous: « Erat pauperi et abjecto cuidam homini natus infantulus; quem cum nemo e sacerdotibus de sacro fonte levare dignaretur, et pauper iste pontifici suam miseriam cum multis lacrymis exponeret, vir sanctus. Cito, inquit, eum ad me deferto; ego enim puerum sacro latice tingere, et Christo pro eo spondere (velut patrinus) debeo. Tinxit itaque infantem, et sacerdotum superbiam præclaro humilitatis exemplo confudit. Paucis tamen post diebus, cum celebrata apud S. Severinum statione, magno sacerdotum et populi comitatu circumseptus pauperis hujus tugurium pertransiret; ille domo prorumpens, alacri usus confidentia, frænum equi, cui præsul insidebat, corripuit, et benigne præsulem (velut compatrem suum) ad prandium invitavit. Nec abnuvit vir sanctus pauperis subire tuguriolum; ubi nihil præter panem cum asso pullo, tenuique cerevisia invenit: quæ tamen quibusvis ipse deliciis, ut humilitatis, benigneque faciendi disciplinam alios doceret, longe proposuit. » Ergo hic pauperulus, ut raro et eximio tanti pontificis beneficio gratum se quomodocumque ostenderet, invitare eum voluit ad suam qualemcumque cœnulam; plus utique exhibiturus, si plus habuisset, nec vir tantus detractavit. Idem quoque Matthæus